



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XIII. An, & quo pacto Terra, plantæ, bestiaq[ue] ante & post peccatum Adami, subjectæ vel mutataæ, hominique infestæ factæ sint?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

nam DEI geris, vt filius tui Patris, cui amorem debes ac pietatem. Hæc imago, hoc ſignaculum, honorificum eſt, vt ita dicā, ſigma, quo mancipium ſuum notauit: honorem igitur Domino tuo præſta; time eum, vt ſeruus, & omni ſtudio reuerere. Hæc imago ſignum & teſſera eſt tui Imperatoris, cui fidem, cui obedientiam, cui vitam debes. Ad extremum, ſicut vrbium conditores, in medio ciuitatis à ſe extructæ, imaginem ſuam, è marmore, vel ære factam ſolent ponere, vt omnibus eam aſpicientibus conſtet, quis fuerit ædificandæ vrbis author: ſic omnipotens ille Vniuerſi huius architectus, hominem, hoc eſt, imaginem ſuam, in medio mundi à ſe conditi collocauit, vt eam intuentes intelligerent, quiſnam ſit tanti operis fabricator, atque vel hinc diſcerent recto creaturarum vſu, ad principium ſuum, omnia reducere. Talem ergo DEVS hominem, talem homini terram, talem domum, talem ſupelleſtilem dedit. Neque opus eſt alio iudice, quando DEVS fert iudicium. Poſtquam hæc omnia condidit, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quin neque ipſe primus homo quidquam vidit, quod non laudaret, & ad quod, non exclamaret: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?* Dominum vocauit, à quo ipſe in terris, dominus factus eſt vniuerſorum; nam quamdiu DEO ſeruiuit, cetera omnia illi quoque ſeruiunt. Poſtquam rebellis factus eſt, quid mirum, ſi ei etiam alia cœperunt rebellare?

Genef. 1. 31.
Pſal. 8. 5.
I.
Pſal. 101. 35.

C A P V T XIII.

An, & , quò peccato, Terra, Planta, Beſtiæ, ante, & poſt peccatum Adami, ſubiectæ vel mutata, hominibus infeſtæ factæ ſint?

Verere meritò aliquis poſſit, cur Propheta rex dicat: *Initio tu Domine, terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt celi?* An non vtrumque initio fundauit? cur id non dicit de vtroque? Nimirum cælum ita manſit, ſicut fuit initio fundatum; terra autem mutauit faciem ſuam, aut mutaſſe videri poteſt; poſtquam Adam exul à Paradifo eliminatus, terram mutauit. *Initio*, cum primus homo juſtus adhuc eſſet, DEVS terram,

X pro

Gen. 3. 17.

pro illo, fundauerat omni benedictione plenam. Postquam prauaricatus est, causam Deo dedit, vt terra non maneret talis qualis fuerat initio fundata. Quamobrem dixit ad eum Dominus Quia audisti vocem vxoris tuae, & comedisti de ligno, ex qua, preceperam tibi ne comederes, MALEDICTA TERRA, in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vita tua, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terra. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluere reuerteris. Hinc fundi nostri calamitas. Hinc initio tu, Domine,

Gen. 2. 6.

terram fundasti: terram irriguam, quia fons ascendebat à terra irrigans vniuersam superficiem terra; terram floridam, terram omni voluptatis feracem; verbo Paradisum: sed, post hoc initium inobediens homo solum vertit & felicitatem, atque ex loco voluptatis, fecit terram miseria, latomiam laboris, ergastulum calamitatis. Illud initio tam pulchrum viridarium erat ab omnipotente Creatore ita homini concinnatum, vt quacunq; oculo

Iob. 10. 22.

circumferret, meritò exclamaret: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine? omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.*

Psal. 103. 25.

Glebae bonae inimicus homo Zizania superseminauit. Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similibus factus est illis. Hinc illi dictum est: *Et comedes herbam terra*

Matth. 13. 25.

ficut & Nabuchodonosori legimus accidisse; quem regijs dapibus affuetum illa sententiâ percussit: *Ecce enim, vt bos comedes.* Hunc relinquant, peccata effectum, hoc fructi, pro seruitute, à diabolo

Psal. 43. 13.

Gen. 3. 18.

mortales ferunt. Denique stipendia peccati mors.

Dan. 4. 22.

Tradit Theopompus, in colloquio, quod inter Midam Phrygem, & Silenum intercessit, à Sileno etiam hoc narratum fuisse: in Meropum finibus locum esse, & nominari Anostum, (id est, sine reditu, seu vnde non est reditus) similem voragini & hiatus: neque verò tenebris, neq; lumine insignem; sed aërem impendere obscuro quodam rubore permixtum. In eo loco duos fluuios labi, alterum voluptatis, alterum tristitia: & ad vtramq; arbores sitas esse magnitudine platani magna. Quae ad flumen tristitia sunt eiusmodi natura ac potestate fructus producere: si quis in s vescatur, eum tantum eicere lacrymarum, vt per vniuersa vita reliquum tempus fletibus, luctibusq; diffusis, & sic vitam finiat. Alteras verò, quae fluuiio voluptatis agnascuntur,

Rom. 6. 23.

fructum

A lian. lib. 3.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

ca. 18.

fructum contrarium ferre: qui enim hunc gustat, ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur; paulatimq; fit junior, atq; precedentem aetatem, & iam transactam retrò agit ac resumit. Hæc Chij fabula historicam protoplasti exprimit veritatem, ostenditque, quàm felici origine nati, in quantam peccato miseriam dejecti simus. Terra hæc, inter cælum & inferos, media, voragini similis est, neque damnatorum tenebris horrida, neque luce beatorum clara, sed alternis vicibus, nunc sole illustrata, nunc obscurata noctibus, mixtum quiddam de utroque præ se fert. In hac terra, duo fluij, seu gemini vitæ humanæ status fuere: in vno exitit torrens voluptatis; nec enim tam copiosis aquis fons de terra, in Paradiso, quàm multis gaudijs læta felicitas, quasi jure conuiuium, in mentem Adami ascendit. Ad hunc gaudiorum fluium, accreuit arbor vitæ, cuius fructu gustato, vigor, iuuentus, vita omni homini reflorisset. Sed maluit noster parens ex illa arbore fructum gustare, quæ meritò dici potest, ad flumen tristitia fuisse adsita. Nam, postquam Adamus ad eius pomum dentes admouit, ita flere illico cepit, ac si non pomum, sed allium aut cepas momordisset. Enimverò hæc arbor coëgit eum tantum eicere lachrymarum, ut per vniuersa vitæ reliquum tempus, lacribusque disfluere, & sic vitam finiret.

Cui igitur attribuenda est exilij nostri causa? Numini, an homini? Innocenti sapientissimus architectus condidit Paradisum; reo decreuit exilium. Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. De honore dejectus est, postquam de virtute cecidit; & illico corporis morti addictus, ubi gratiam, quæ est animæ vita, extinxit. Fatalis illa arbor ex communi Theologorum sententia, idcirco arbor scientiæ boni & mali est nuncupata, quia primi parentes nostri, per comestionem vetiti illius fructus, experimento didicerunt bonum, quo prius fruebantur, malæque subsecuta, quæ, ob inobedientiam, illis sunt immissa. Hic enim mos est S. Scripturæ, ut res ab euentu appellet. Nam & locus ille, in quo Abraham puteum foderat, pro quo, Abimelech Domino terræ illius, septem agnos dedit, dictus est Bersabea, id est, fons septem, scilicet agnaru; seu fons, vel puteus juramenti, quia ibi vterque juramento pactum

Prou. 16. 18.

III.

Psal. 49. 13.

Gen. 21. 30.

X 2

lima

Num. 11. 34.

Gen. 2. v. 9.
& 17.

IV.

Sapi. 1. 13.

Rom. 5. 12.

2. Cor. c. 5. 4.

Hisor. Si.
p. 4. c. 17.

firmavit. Et pars illa deserti *Pharan*, dicta est, *sepulchra concupiscentia*, quia ibidem interfecti sepulchrique sunt, qui carnes intemperanter concupiuerunt. Alij, quia arborem illam, *scientia boni & mali*, sic, ante lapsum hominis, bis appellauit *DEVS*, censent, eam sic dictam ab eo, quod futurum prauiderat, qui prauidet omnia, nisi, ut sæpe quoque alibi, id, per anticipationem à Moysè relatum; aut arbor à deceptione nomen accepit, qua serpens vsus dixit: *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum*. Quæ ipsa deceptio satis magna miseria fuit. Siquidem non solum Adamus eo esu vitam suauem, quam in cælo, beati agitant, non est contectus; verum etiam, statim, re ipsa, post prauaricationem, ærumnosam illam experimentalem boni & mali scientiam acquisiuit, quam habent, quicumque, bono amisso, in mala inciderunt. Itaque inde calamitosi esse cœperunt homines, vnde, *sicut Dij*, esse voluerunt. Hic, ex vetito fructu, fructus natus est. Ex vno malo, omne nobis malum germinauit. Digni sunt exilio, qui patriam cōtempserunt. Meritò in agrum, & ad stiuam mittitur, qui in horto Dominica non colit.

Igitur, si mala putatur mors, malum id DEO non est impetandum. *Quoniam Deus mortem non fecit. Impij autem manibus & verbis accersuerunt illam. Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt;* ita homini, non hominis Conditori, causa mortis est ascribenda. Potuisset Adamus & posterius eius, in terra, diu felix viuere, & eo modo, quo exoptat Apostolus dicens: *Nolumus expoliari, sed superuolari*, de terrestri ad cælestem Paradisum, sine vllò interitu, aut corporis expoliatione, transire: sed, relicto vitæ ligno, de mortifera arbore comedit. Habet ergo, quod voluit; quia magis ei sapuit culina diaboli, quàm epulum DEI. Itaque arborem vitæ amisit, quando ad illud lignum curiosas manus extendit, quod serpens venenauit. Aiunt, non procul à Malaca arborem nasci, cuius radices cum multæ sint, in varias dispersæ partes, diuersos effectus sortiuntur. Quæ enim ad orientem spectant, antidotum præbent aduersus venenum quodlibet, febrésque pellunt; aliásque ægrotudines: at quæ vergunt ad occasum, ipsissimum venenum propinant. Tales arbores

bores vitæ, & mortis mundi Opifex posuit in Paradiso. Cur homo, Oriente neglecto, vertit se ad Occidentem? Si sudat ad aratrum; habet, quod elegit. Si terram labore subigit; habet, quod elegit. Si vescitur pane duro; habet, quod elegit. Si spinas sentit; habet, quod elegit. Si mortem timet; habet, quod elegit; cur vivere recusavit? Elegit enim pœnam, quisquis cum electione ruit in culpam.

Itaque justus Deus, qui terram in vsus & delicias hominis condiderat; eandem illi reo in pœnam conuertit. *Quia audisti vocem uxoris tue, ait, & comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vite tue. Spinæ & tribulos germinabit tibi.* Vbi sensus non est, primum, post delictum Adæ, spinæ & tribulos, & lolium, & aconita, & alias plantas venenatas, in pœnam scilicet præuaricatoris, crescere coepisse, rosasque ab initio, sine aculeis, enatas. Si enim serpentes, in Paradiso fuerunt, & animalia virulenta, cur nõ & rubi, & spini, & rosæ hamis septæ extitissent? Non mutauit peccatum primi parentis, naturales hominum proprietates; cur mutasset proprietates rosarum, aliarumque plantarum? Et pertinebant utique omnes herbarum, arborumque species ad perfectionem vniuersi. Quo pacto igitur ait summa Veritas: *Spinæ & tribulos germinabit tibi terra?* Nimirum, sicut antè, quam homines ceterasque animantes conderet Deus, plantas bonas procurauit, vt hominibus ceterisque animantibus paulò post extituris essent in cibum; ita quoque prospiciens hominis delictum, in futuram peccati illius pœnam, rosam cum spinis, tribulosque, & noxias herbas, ac virulentas bestias produxit; quæ omnia homo, si non peccasset, liquidò dignoscere, & ob dominij, scientiæ, prudentiæ, diuinæque protectionis plenitudinem, aliasque causas, sine vllò incommodo, deuicare potuisset: post lapsum autem hæc illi in pœnam facta sunt, quia incautiùs vitauit, & sæpius permissus est in ea præcipiti cæcitate incurrere.

Itaque, qui terræ miseras accusatis: *Audite verbum Domini, quia iudicium Domino cum habitatoribus terra: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inunda-*

V. Gen. 3. 17.

VI. Amos. 4. 1.

runt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cali. Nemo nescit culpam esse poena peiorem: cum peccatum sit verè & vndequaque, aut, vt loquuntur, absolutè malum; poena autem secundùm quid duntaxat, & ei, qui eam sustinet, in se autè iustitiæ opus; quod alijs est in exemplũ virtutis. Igitur imèritò Deum accusatis, si terram finit esse spinosam, quam vos ipsi sceleribus repletis, veris, magnis, detestandis malis. *Qua seminauerit homo, haec & metet.* Hanc messem si Adam voluisset vitare, sementem omittere debuisset.

Gal. 6. 8.

VII.

Plin. li. 8. nat. hist. cap. 23.

Gen. 1. 26.

Gen. 9. 2.

Diodor. li. 4. c. 3. de reb. antiq.

Quamquam neque herbae illae ipsae, aut bestiae multis noxiae, adeò noxiae sunt, vt vtilitate sua careant. Rectè ille dixit: *Non est fateri, rerum natura largiùs mala, an remedia genuerit.* Quippe cum, vt viperæ morsus viperæ cinere curatur, ita ex ipsis venenis optimæ medicinae cõficiantur; & nosci etiam nũ, ac vitari, ac ipsae quoque bestiae domari, magna ex parte, vel occidi possint, quae possunt nocere. Neque enim initio tantũ, atque ante peccatum, Deus dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & praesit piscibus maris, & volatilibus cali, & bestijs, vniuersaq; terra, omniq; reptili, quod mouetur in terra:* sed etiam post peccatum, immo post diluuium, dixit Deus Noè, & filijs eius: *terror vester, ac tremor, sit super cuncta animantia terra, & super omnes volucres cali, cum vniuersis, quae mouentur super terram.* Multa sanè sunt animalia hominibus fortiora, atque ea propter metuenda; nulla tamen prudentiora; qua de causa omnia hominem timent, cuius ingenio & industria vincuntur. Gymnetæ Æthiopiæ populi, teste Diodoro, regionem incolentes asperam, super arbores, ferarum timore, dormiunt: sub auroram, ad aquarum decursus armati procedentes, se abscondunt, inter arborum frondes. Sub æstum verò solis agrestes boues pardalèsque, ac varia ferarum genera, cum caloris, sum sitis causa, ad aquas confluunt: quas aqua iam grauitas ex arboribus descendentes occidunt, perque cœtus diuisas euadunt. Impuberes pũeros exercent ad certum signum jacere, solis eibos praebentes ijs, qui signum tetigere. Ideò jaculatores optimi eero, industria ostendunt vitari vincique posse. *Initio quidem bestiae*

bestiæ hominibus, nocere non potuissent; quia quam diu Adama DEO seruivit, etiam illi bestia perfectissime subiecta seruiuerunt: idem est dicere, ait Glossa interlinearis, *præsit piscibus maris &c: ac si diceret, Dominus sit omnium inferiorum*: postea tamen, sicut ille DEO, ita illi bestia rebellauerunt. Habuit ergo, quod timeret, cum id peccato meruit. Ratio tamen illi relicta est, ut caueret. Ex quo fundamento duplex quæstio soluitur, cur nempe Eua non horrerit, cum serpente colloqui? & quamobrem, etiam post peccatum, homo dicatur Dominus bestiarum?

Ad primam quæstionem quod attinet; 1. Constat Eua à serpente seductam. 2. Constat, non seductam à naturali serpente; qui quia ratione, & sermocinandi facultate est destitutus, cum Eua naturaliter colloqui, & de imposito præcepto disputare non potuit. 3. Constat, Eua à diabolo propriè ac principaliter deceptam. *Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, seu quodammodo immortalem, & ad imaginem similitudinis sue fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Et ut Christus Seruator ait: *ille erat homicida ab initio*; quia primos homines ad peccatum, & per peccatum ad mortem induxit, mortiq; obnoxios fecit. 4. Constat diabolum, per os serpentis, eo modo, locutum fuisse, quo solet aliàs, per energumenos verba humana formare, ac loqui linguis, quas ipsi etiam arreptitij nunquam intellexerunt; aut quo pacto bonus angelus, per asinam, Balaam malè euntem castigauit. His ita se habentibus, posset meritò quispian scripturæ imperitus quærere. Cur serpente omni callidior, cacodæmon, illis exunijs aut induijs usus sit? Inepè enim laruam formidabilem inducit, qui vult blandiri; neque terrere debet aucep̄ auès, quas vult fallere. Cùm igitur serpentis aspectus sit horribilis, incallidè posset videri fecisse insidiator ille, quando, in serpente, Eua compellauit. Sed profectò incallidè non fecit, cùm illi cognitissimum esset, ita tunc animal omne hominis esse in potestate, ut nullum Eua nocere, nullum ei horrorem, aut timorem iniicere posset.

Sunt qui existiment, serpentem maximè opportunum fuisse ad Eua deliniendam, ac jacudissimè deuinciendam, cùm astutissimus humani generis hostis utique non deformem aliquem, sed

Glossa in terlip. Gen. 1. 26.

VIII.

Sap. 2. 23. Ioann. 8. 44.

Num. 22. 30.

IX.

vnum

Solin. c. 29.

Philip. Melanchthon. in explicat. Euang. die Palæstis. c. 1.

vnnum de venustioribus delegerit, quem Scytalem vocant, de quo Solinus tradit, quod tanta præfulgeat tergi varietate, ut notarium gratia, videntes retardet, & quoniam reptando pigrior est, quos assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes. Hodie adhuc in Asia circumferuntur serpentes, in quibus habitat diabolus, ait diaboli quidam apollo. Bonum est, adolescentes hoc scire. Sunt quidam prestigiatores in Asia, qui circumueunt per totas insulas, & gestant serpentes, quibus saltantibus putant purgari domos; sic, ut nulli serpentes intrent, aut inficiant eas ados (audiui ista à bonis & honestis viris, qui viderunt) ita autem agere solent. Gestant serpentes in vase cupreo, vnum atq; alterum, & cum veniunt in domum, aperiunt vas, & incipiunt ludere tympanis, tunc paulatim assurgit serpens, & aperit rictum oris, ex quo, post incantationem, prodit caput facie virginea pulcherrima. Est imaginacula similis capiti virginis. Tandem iterata incantatione sensim retrahit serpens, & abdit caput in os. Ipse verò serpens fit languidus, & quasi exanimatus recedit, quia diabolus cruciat eum. Hac non sunt fabulosa. Et sic diabolus transformauit se in serpentem, quando decepit Eua, & Adam. Prona utique illecebrâ, si non fabulosa, & cui subscribunt quidam pictorum penicilli,

X.

S. Augustin. lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 3.

Quanquam & illud, cum D. Augustino dici possit: Non esse putandum, quod diabolus serpentem, per quem tentaret, elegerit; sed cum decipere cuperet, non nisi, per illud animal potuisse, per quod posse à Deo permissus est. Nocendi enim cupiditas inest cuiq; à se; sed potest à solo Deo esse. Quod si quis scire velit, cur Deus non permiserit demoni, in leonis, aut draconis, aut alterius immanioris bestiae latrocinia hominem aggredi? respondent sacri interpretes, ipsum demonem fuisse quavis bestia immaniore ac fortiore, quia non est super terram potestas, qua comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret; sed noluisse diuinam prouidentiam, ut homini, in statu innocentia, vis inferretur. Vsq; adeò eum vndique muniuit, ut nisi liberè vellet, non posset superari, aut capere detrimentum. Itaque, quem viribus non potuit vincere, fraude cepit Orcus. Ad fraudem autem aptissima erat callidissima bestiarum; ex cuius proinde intuitu solo moneri potuit Eua, ut à fraude sibi caueret. Non cauit misera: digna igitur facta est, quæ postea formidaret anguem, cui prius dominabatur. Quam poenam Deus ipse expressit,

Iob. cap. 1.

XI

pressit, cum diceret: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & seminum tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Quæ non dicuntur, quasi, ante peccatum, serpens virus non habuisset homini inimicum, cui id naturale erat; sicut & super pectus reptare, & terram comedere: sed quia hæc ante maledictionem, non faciebant serpentem homini abominabilem. Si quidem, ex speciali DEI providentia, in statu innocentia, virulenta homini nocere non potuerunt. Quod cum sciret Eua, serpentem non est auersata, sed cum eo familiariter conuersata. Post inobedientiam, & quæ ex ea profluxit, maledictionem, coepit serpens posse hominem veneno inficere; eaque de causa coepit ei esse execrabilis, de malignitate & pernicie; contemptibilis de vilitate, vt, qui humi reptaret, & terra vesceretur: quæ vi illius maledictionis, apud homines, probro esse coeperunt; prius ei, ex natura, sine nota, conueniebant.

Hæc cum ita sint, fuerintque, ante Adami lapsum, rectè tamen, etiam post eius peccatum, homo, quantumuis nonnullas bestias metuens, & exosas habens, dicitur esse dominus bestiarum. Neque dum enim jus, & amplissimam in eas potestatem amisit, tamen si amiserit securitatem. Ius enim hoc illi, ob naturæ rationalis excellentiam, & imaginem DEI, est naturaliter datum. Quia igitur peccatum naturam non destruit, consequens est, hominem bona naturalia, ob peccatum non amisisse. Atque hæc potestas de nouo homini à Deo fuit confirmata illis verbis: *Terror vester, & tremor sit super cuncta animalia terra &c. Omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt; & omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Hinc licitum est, venari, aucupari, piscari, capere, occidere animantes, carnibus earum in cibum, pellibus in amictum, dentibus & cornibus in instrumentum vt. Queri justè non possemus, si omni hoc dominio, per peccatum, excidissemus. Nunc adeò dominium istud nobis est relictum, vt S. Iacobus dicat: *Omnia natura bestiarum, volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Quod antè, quàm ostendamus, verissimum esse, fatendum est, discrimen inter perfectum illud dominium, quo gaudebat in statu innocentia Adamus; & quod, post admissum à primo parente delictum,

Gen. 3. 14.

XI.

Gen. 9. 2.

Iacob. 3. 7.

Y

in ho.

in hominibus remansit, quo ad usum, valde imminutum ac limitatum. Siquidem Adam in priore illo statu, non solum circumspicius cauere potuit, intellectu nondum obscurato, & peculiari protectione diuina munitus; sed etiam ex parte animalium longè plenior potestatis usum atque executionem, & obedientiam: vel quia, ut nonnulli arbitrantur, Angelico ministerio protifum fuit, vt bruta animalia, sua pte natura, imperio voluntatiq; humanæ, ad amissim, obtemperarent: vel quoniam tunc homo multò exactiùs nouerat proprietates, naturalisq; animalium inclinationes; quas qui nouit, faciliùs utique domat, subicit, flectitque, & sibi obsequentia reddit; vt experientia vel hodie demonstrat. Sunt enim variæ artes industriæque, quibus animalia cecurantur; quarum qui plures caller, plures bestias mansuefacit. Hos animalium effectus, atque inclinationes, haud iam posteri Adæ, perspectas habent, vt ipse: neque nunc Angeli bestias vt priùs, solent ad nutum facere obsequentes. Vt hoc fieret, homini causam dedit, & exemplum. Si voluisset sibi parere bestias, Deo debuisset ipse obedire. Rebellionem sibi peperit rebellando. Hoc iudicium Domino, cum habitatoribus terra. Præuaricati sunt. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cali.

Amos. 4. 1.

C A P V T XIV.

Quantum homini, etiam post peccatum Adami, in omni generis bestias, dominium, quantaq; potestas relicta sit?

I.

VT autem non lateret nos, quid peccato amissum sit, aut quàm clemètem iudicem habeamus, dominij illius primæque potestatis haud obscura quadam nobis relicta sunt vestigia. Neque enim dominium illud est extinctum, sed accisum. Quod penitus adimere potuit, diuina bonitas limitauit duntaxat. Hoc est, quod dicitur: *Nunquid continebit, in ira sua, misericordias suas?* Immo in quibusdam Sanctis, subinde velut in solidum ostendit dominium reductum. Quis nescit, à Moyse, serpentem, sine noxa apprehensum? Nam etsi, virgâ in colubrum versâ, fugit; mox tamen, vbi dixit Dominus; *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius: extendit, & tenuit.* Paulus quoque

Psal. 76. 10.

Exod. 4. 4.